

*99. Instrumentum testamenti
di Manfredi de Centomanibus*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*99. Instrumentum testamenti
di Manfredi de Centomanibus*

1412-09-22

In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a
nativitate ipsius millesimo quatricentesimo tertiodecimo,
regnante serenissimo domino nostro domino Ladislao
Dei gratia Ungarie, Hierusalem, Sicilie, Valentie,
Croatie, Rame, Servie, Galitie, Lodomerie, Comanie,
Bulgarie rege, Provincie, Forcalquerii ac Pedimontis
comite, regnorum vero eius anno vicesimo sexto feliciter
amen, die vicesimo secundo mensis se(ttem)bris, sexte
indictionis, apud civitatem Potentie.

1

2

Nos Nicolaus de Oppido de civitate ipsius, eiusdem
civitatis annalis iudex, Tomasius Strambus publicus
ubilibet per provincias Principatus citra et ultra serras
Montore <sic>, Capitinate et Basilicate regia autoritate
notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et
rogati, presenti scripto puplico fatemur atque testamur
quod predicto die eiusdem ibidem nobis predittis notario
et iudice ac testibus ad requisitionem et preces nobis
fattas pro parte domni Manfredi de Centum Manibus de
Potentia personaliter accersitis ad domum habitationis
ipsius, sitam intus civitatem Potentie, in parrochia
ecclesie Santi Girardi, suis loco et finibus limitatam,
invenimus eumdem in quadam ca(m)mera ipsius domus
iacente in letto, infirmum infirmitatis pestis glandule,
consentiens prius in nos predittos notarium, iudicem

Così S per Dalmatie

Dato l'uso dello stile bizantino per l'indizione, il documento –
sotto l'anno 1413 – va ricondotto al 1412, al cui terzo trimestre
spettarono la VI indizione e il ventiseiesimo anno di regno di
Ladislao, computato per anni interi.

et testes ut in suos, cum sciret ex certa eius scientia nos suos iudicem, notarium et testes in hac parte non esse, // (c. 219v) iurisdictionem suam voluntarie prorogando, sanus tamen mente et rette locutionis existens, considerans statum fragilem humane nature et quod nil est certius morte et nil incertius hora mortis et quod mors nullis auxiliatur potentiis nec auxiliis subiugatur, nec argento vel auro redimitur, nec potest quomodolibet evitari, volens saluti sue anime providere et bona sua disponere et salubriter ordinare, sibi gratia Salvationis a(n)nue(n)te, ut enim heredes et successores suos nulla post eius obitum discordia oriatur ac timens, ne quod absit, decederet intestatu, bona, ut predictum, fruens memoria et sano sensu, presens suum ultimum nuncupativum sine scriptis in nostrum qui supra iudicis, notarii et testium presentia in uno et eodem contestu qui sequitur condidit testamentum seu ultimam voluntatem et condere dignum duxit, quod valere voluit et mandavit iure codicillorum, donationis causa mortis et cuiuslibet alterius ultime voluntatis si iure testamenti forsitan valere non potest, prout melius de iure valere potest et debet et debitam efficaciam obtinere, ita quod in omnem eventum et casum dittum testamentum et contenta in eo realiter exequantur et debite executioni mandentur // (c. 220r) iuxta voluntatem, ordinem et modum testatoris affati, cassans dittus testator, irritans et annullans ex certa eius scientia omnia alia testamenta, codicillos seu ultimas voluntates per eum hucusque ab hactenus fatta, condita vel etiam ordinata seu ordinatas, sub quacumque verborum serie sive forma, volens et mandans quod hec sit sua ultima voluntas et quilibet sibi quocumque iure succedens ipsam teneatur efficaciter adimplere; in primis quare heredis institutio cuiuslibet testamenti dignoscitur

esse capidi testator ipse instituit et fecit Angelicam suam sororem carnalem legitimam et naturalem, cui legavit pro ditta hereditate tarenos sex tantum et non plus et voluit quod sit contenta et petere non possit plus de bonis suis. Item elegit corpus suum sepelli et recondi in monumento comuni presbiterorum ipsius ecclesie Santi Girardi; item legavit pro cera et denario in vigiliis et obsequiis dicendis et celebrandis pridie obitus sui, ad arbitrium episcoporum suorum; item legavit pro malis oblatiis incertis tarenos tres; item legavit clericis ecclesie Santi Girardi, amore societatis, tarenos tres; item legavit luminarie ecclesie preditte // (c. 220v) petias duas terrarum sitas in tenimento civitatis Potentie, in contrata Rifridi, subscriptis finibus limitatas: ab una parte superiori iuxta terras ecclesie Santi Spiritus, ab inferiori parte iuxta flumen ditti Refridi; altera petia terre sunt fines hi videlicet: a superiori parte iuxta terras ecclesie Santi Girardi, ab inferiori parte iuxta terras domni Nicolai magistri Donati limite comuni. Item legavit eidem luminarie terras que sunt subtus castrum civitatis Potentie, hiis finibus designatas: a superiori parte sunt muri civitatis Potentie iuxta terras iudicis Marsilii, iuxta orticellum Florie neptis sue, ab inferiori parte iuxta vineam subdiaconi Roberti Angeli mediante via publica, iuxta terras ecclesie Santi Girardi; item legavit clericis ipsius ecclesie pro missis Santi Gerardi dicendis per ipsos tarenos sex et medium. Item legavit Florie, servitrici sue ad quam asseruit idem teneri, in carlenis uncias duas, sexaginta per unciam et ponderis generalis, et tarenum unum, item mataratium unum, item par unum lintheaminum, plumatium unum, tappetum unum; item eidem pro bono servitio corrigiam unam de argento, item tunicas duas de panno col[.]s

<sic> de lana, item de frumento tumulos decem, item caldarellam unam de ere. Item legavit ecclesie Santi Girardi pro uno vestimento // (c. 221r) de panno de lino tarenos septem; item legavit Antonello filio Florie, pro bono servitio et amore, scrineolum unum clavatum. Item her(edi) Angelice preditte sororis sue mataratium unum, par unum lintheaminum, plumatium unum, trappetum unum, quod teneatur ipsa Angelica post mortem ipsius testatoris preditta legata dare et assignare Bone filie Marchi Marchesii amore; item eidem culcitrellam unam plenam pennis. Item legavit Nicolao fratri suo tobudam unam magnam de ligno <sic>, butticellum unum parvum ad tenendum vinum, item eidem petiam unam unius terre iuxta vineas suas suis loco et finibus limitata, item lauderium unum de ferro, item cassam unam, bancum unum, item butticellum unum salmarum duarum de vino amore affinitatis; item legavit eiusdem nepotum suarum amore tarenos duos; item legavit cuilibet epitroporum suorum tarenos duos; item legavit Basertie sue nepoti tobaleam unam de lino. Item voluit et mandavit expresse ipse testator quod, solutis legatis et contentis in ditto testamento, omnia que supererint sint ad manus epitroporum suorum, dispensentur iuxta arbitrium eorumdem; item fecit, creavit et ordinavit suos epitropos distributores, executores et fidei commissarios sui presenti ultimi testamenti Angelicam sororem suam et Nicolaum fratrem suum, // (c. 221v) presentes et omnes ditti epitropatus in se sponte suscipientes, quibus dedit omnimodam, tribuit potestatem apprehendendi, vendendi, alienandi et distrahendi tantum de bonis suis omnibus mobilibus et stabilibus donec presens testamentum et contenta in eo realiter exequantur; et hec fuit ultima voluntas testatoris preditti quam observari

voluit et mandavit. Unde ad futuram memoriam et ditti testatoris preces et predittorum epitroporum cautelam, quam omnium quorum et cuius interest et poterit interesse, fattum est exinde presens puplicum instrumentum testamenti per manus mei preditti notarii, signo meo solito signatum, subscriptionibus iudicis et subscriptorum testium roboratum.

3

4

5

6

7

Quod scripsi ego predittus Tomasius puplicus ut supra qui premissis omnibus vocatus et rogatus interfui ipsumque meo consueto et solito signo signavi. (SN)
† Ego Nicolaus de Mede annalis iudex qui supra † Ego presbiter Antonius de Lacupensuli archidiaconus Potentinus testis interfui † Ego presbiter Goffredus de Moyse canonicus Potentinus testis interfui † Ego presbiter Iacobus Venter canonicus Potentinus testis sum † Ego diaconus Lucas de Coffo testis interfui † Ego Antonius de Lauro testis sum

8

Così S per caput

Così S per alterius petie

Così S per tobaleam... de lino

Così S in luogo di un nome di persona

Così S per suffragatur

Così S qui, sopra Oppido